



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De vera sapientia apud Deum quærenda. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Matt. 19.

semper bonum. Non potes perfectè amare Deum, nisi contemnas teipsum & mundum propter Deum; qui reddet tibi centuplum in præfenti, & vitam æternam in futuro.

3. O frater peregrine, non sit tibi graue elongari ab amicis & notis; qui sæpe sunt impedimentum æternæ salutis, & subtractio diuinæ consolationis. Vbi sunt socij tui, cum quibus lusisti & risisti? Nescio. Abierunt, & me reliquerunt. Vbi est, quod heri vidisti? Euanuit. Vbi est, quod comedisti & bibisti? Totum periit. Quid nocuit, quod abstinuit? Nihil omnino. Sapiens ergo, qui Deo seruit, & seculum cum suis delectationibus funditus spernit. Verè ita est. Væ omnibus mundi illecebris ebrijs, quos citò omnis iucunda societas deseret, fugiet, atque sepeliet. Ecce mortui sunt omnes. Non vltra reuertentur ad me; ego magis sequar te, Deo vocante. Hospites fuerunt super terram, & ego. Omnia hinc reliquerunt, & ego. Tanquam vmbra subito transierunt, & ego.

CAPVT III.

De vera sapientia apud Deum querenda.

Prou. 3.

1. **B**eatissimus vir, qui inuenit sapientiam. Quare veram sapientiam, quam Christus docuit, & exèplo suo ostendit. Verus sapiens odit iniquitatem, loquitur veritatem, & operatur iustitiam. Qui sobriè, castè, piè, humiliter, & deuotè viuunt, & pericula tentationum cauent, sapiens est & Deo placet. Hic bonam famam habet, bonam conscientiam seruat, tristitiam fugat, pacem possidet, & cordis letitiam frequenter à Deo accipit, quam mundus ignorat nec sapit.

2. Sapientia mundi vanitas est, & stultitia reputatur apud Deum. Decipit suos amatores, & in fine torquet amantes. Sapientia verò carnis mors animæ est, quæ subito tollit pariter vina bibentes & delicijs inhaerentes. Nam luctus & poena, post carnis gaudia foeda. Trahitur autem vera sapientia, de occultis verbis & facris actibus Christi; qui suadet spernere mundum, fugere delicias, domare carnem, pati dolores, subire labores, amare virtutes.

CAPVT IV.

De pugna contra propria vitia.

Matt. 11.

1. **R**egnum calorum, vim patitur. Multorum est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem peruenire. Aut enim ad carnem nimis labimur, aut in superbiam erigimur, aut aduersis frangimur. Heu rarò hic inuenitur, qui Deum pure querat, & seipsum perfectè vincat, & funditus relinquat. Dixit qui-